

**G**raeca studia, quae primis medii aevi saeculis fuerint, opusculo exponere sum conatus, quod ante hos quatuor annos edidi,<sup>1)</sup> quo hanc materiem ad certum quendam finem pertexui, quam anno ante exorsus quidem eram programmate scholastico, neque vero, ne extra fines atque terminos hisce scriptis constitutos egrederer, ulla ex parte absolvere potueram. Speraveram quidem fore, ut hoc labore longius prosequendo supersedere possem, quum quaestioni, quam Academia Francogallica de hisce studiis explicandam proposuerat satisfecisse publicoque praemio ornatus esse diceretur Renan, quumque ex libris bibliographicis singularem hunc librum editum esse laeto animo acciperem<sup>2)</sup>). Quem vero librum ut mihi pararem, quum non mediocriter contendens oleum et operam perdiderim, neque ex ulla bibliotheca, ne magna quidem Berolinensi, cui pro singulari, qua me adjuvat liberalitate, multum debeo, mihi parare potuerim, quumque in alio libello ab ipso illo auctore nuperrime edito nullum illius operis sit vestigium, num hic Renanius liber, quem dicunt, emanaverit typis exscriptus valde dubito. Jam aggredientem me opusculum meum prosequendum difficultates, quae in hac sunt disquisitione, fugiunt minime, quae tot tantaeque sunt, ut tantum absit ut me, pro minore mea doctrina ac pro magna librorum inopia, aliquid esse praestitum sperem, ut vix quemquam, quales Graecae media aetate per occidentem fuerint literae, esse explicaturum censem, nisi qui Venetiis vel in Italia inferiore atque in Sicilia, quibus locis sicubi illae florebant, diutius sit versatus atque in sacrarum ac bonarum artium studia inquisiverit diligentissime<sup>2a)</sup>). Quum vero haec studia

<sup>1)</sup> De Graecis medii aevi studiis. Pars prior. De Graecis inde a primo medio aevo usque ad Carolum Magnum. Sundiae 1849.

<sup>2)</sup> Renan: sur l'etude du Grec et des langues orientales en occident pendant le moyen age. Paris 1849.

<sup>2a)</sup> „Alles, was Italien von dorher (Griechenland) erwarb, ist in Venedig ausgeschifft worden, und es fehlte gleich Anfangs nicht an Gelehrten, die dafür sorgten, dass ein Theil dieser Schätze auch in dieser Stadt bliebe“ Blume, iter Italicum, I, 46—48, 127, 208, 220. Der ganze griechische Buchhandel scheint seinen Sitz in Venedig gehabt zu haben, was später auch die griechischen Druckereien dort begünstigte. IV, 169 et 170.

nostro tempore jaceant, quae dignissima sunt, in quibus operam suam collocent viri docti, quum ex iis permulta in omnem historiam, et profanam et sacram, medii aevi redundant commoda, non dubitavi quin mea, quantulacunque sunt, ad haec afferrem, eoque promptius novam programmatis scribendi occasionem in rem meam converti, qua, quae omiseram vel minus accurate scripseram, et explerem et absolverem.

Jam priore disputatione id egi, ut exponerem, quae Graeca per varias occidentalis Europae provincias fuerint studia, a primo medio aevo usque ad Carolum Magnum, nunc vero eam, quam alteram hujus materiei partem proposui<sup>3)</sup>, sum aggressurus, ut horum studiorum conditionem inde ab octavo nonove saeculo usque ad expeditiones in terram sanctam susceptas adumbrem, a quibus foederatis christianorum bellis contra Arabes eosque verae fidei inimicissimos susceptis prima instaurandarum literarum jacta sunt fundamenta primusque illa luxit dies, qua bonarum artium studia magis magisque colerentur ac totum fere terrarum orbem collistrarent.

### Caput decimum quartum.<sup>4)</sup>

Quae rerum literarumque mutatio inde a Carolo Magno sit facta.

Caroli Magni aetate omnium rerum conditio, quae usque eo fuerat, prorsus est commutata, non solum publicarum domi militiaeque, verum etiam artium atque literarum. Ne longi simus, neve quae cum nostra re minus cohaerent, huc referamus, id praeceteris tunc magis suis momenti judicaverimus, quod ab illo inde tempore orbis terrarum, quem veteres Romani suae fecerant ditionis, in duas quasi partes sejungebatur, in orientalem et in occidentalem, quodque hac in parte, in qua usque eo culti inculti, pagani christiani populi fuerant commixti, fere omnia in longum tempus ita componebantur, ut uni regi, qui praeceteris regnaret, imperatori, et uni papae subjicerentur omniaque in quadrum redigerentur. Divisum quidem fuerat jam exeunte quarto post Christum saeculo magnum illud Roma-

<sup>3)</sup> De Graecis m. ae. studiis, pars prior, cap. 4, pag. 9 seq.

<sup>4)</sup> Haec dissertatio quum intime cohaereat cum praecedente, hujus ordinem sequimur novaque ad priora anneximus capita.

num, quod tunc erat imperium, in duo regna, neque vero ita fuit sejunctum, quo minus alterum cum altero communicaret leges ac studia, in quibus optimi quique versabantur, quin adeo communes fere erant linguae, Romani enim cum sui imperii sua quoque linguae protulerant fines, Graecorumque lingua omnes Romani, qui non prorsus ab humanitate erant alieni, tamquam altero patrio sermone utebantur.<sup>5)</sup> Huc accessit ut, quum duo ex uno orta essent regna, Byzantinorum imperatores Justiniano potissimum auctore totam Italiam sibi subjecerent, diu per orientalem Italiae oram atque per inferiorem hanc terram imperitarent, summi imperatores vel summorum pontificum seu paparum summam ad se vindicarent tutelam, sibi denique omnium rerum, et divinarum et humanarum, arrogarent auspicia.

Quo magis veterum Romanorum, qui cum Graecis praeter linguarum communionem deorum, legum, morum similitudine fere coaluerant, per barbaras gentes ex ingenti illa populorum migratione concussum est imperium, eo arctioribus Graeca studia sunt circumscripta finibus, ut, Ostrogothis de Italia regnabitibus, Boethium et Cassiodorum<sup>6)</sup> ultimos Graecos nominaverim, qui duumviri, quamvis ipsi literarum Graecarum essent peritissimi, inviti multum contulerunt ut Graeca laberentur, quum, irruentem barbariem animis quasi divinantes, permulta Graecorum scriptorum ac potissimum philosophorum opera in Latinam verterent linguam. Quae quum ita essent multa quidem, quae Graeci mente cogitaverant, Latinis commendaverunt monumentis itaque caverunt ne delerentur neve perpetua tegerentur oblitione, neque vero impediri potuit, quominus viri literarum studiosi, quum omnia Latina legere possent, rati, se Graecae linguae studio posse supercedere, Graeca prorsus omitterent atque in Latina tantum incumberent, praesertim quum Romana ecclesia, quae tunc omnes literas suis continebat vinculis, hacce uteretur lingua, eamque unam haberet dignam, quae rerum divinarum esset interpres. Maxime vero Byzantinorum seu Graecorum, quorum opes jam per Longobardos erant fractae, diminuta est potentia, quum Pippinus Parvus papae contra Longobardos auxilium ferret ipseque sacro oleo divina gratia inaugurate rex

<sup>5)</sup> Cramer: De studiis, quae veteres ad aliarum gentium contulerint linguas. p. 8.

<sup>6)</sup> De Graeci med. aev. stud. p. 16—22.

Francorum, quo facto, quum alter alteri esset conjunctissimus Francorumque rex papalem dignitatem tueretur optime, quae Graecorum per Italiam fuerat auctoritas, ad novos rejecta est tutores, ad Francos. Atque cum armis musae quodammodo recesserunt Graecae, quantumque in rebus publicis tantum in literis infracti sunt Graeci, ut per magnum temporis spatium nihil fere valerent.

Quo tempore Italia de Graecorum descivit imperio, quoque re vera duo exorta sunt regna, orientale per Byzantinos, occidentale per Francos potissimum, eodem fere christiana ecclesiae duae factae sunt, orientalis seu Graeca et occidentalis seu Romana, quum Photio auctore, qui tunc Graecorum esset patriarcha, atque cum Ignatio de summa dignitate rixaretur, Graeca ecclesia a Romana, ad quam confugerat Ignatius, se abdicaret suique juris ab illo inde tempore fieret. Quamvis autem hocce schismate, quod vocant, (fuit anno DCCCLXVI) Romani ne graecarentur caverent maxime, tamen tantum abest ut tunc demum alter ab altero populo abalienaverit animum, ut jam ante illud discidium tantopere Romani Graecam ignoraverint linguam, ut duumviri Zacharias et Rodoaldus, quos Nicolaus primus legatos Constantinopolin miserat, quae in synodo frequentissima Graece agerentur, nescirent, Graecisque hanc ob rem nimis indulgerent. Itaque tunc, ut veteres Graeci, artium literarumque suarum sibi bene consciii, caeteros quosque populos barbaros appellaverunt, nono p. Chr. saeculo Byzantini pro superbia sua, qua erant inflati, Romanos, quippe qui barbara loquerentur lingua, barbaros despexerunt.<sup>7)</sup> In paucis, qui tunc Graeca eminebant scientia, Anastasius, Romanae ecclesiae bibliothecarius, est nominandus. Missus anno DCCCLXIX a Ludovico II. imperatore Constantinopolin, ut matrimonium inter Ludovici filiam interque Basilii, Graeci imperatoris, filium perficeret, multa Graeca in Latinam transtulit linguam ejusque doctrinae Graecae tantopere confidebant papae legati, ut ei, quae octavo concilio oecumenico contra Photium placuerant, revisenda ac dijudicanda traderent, si quid inesset contra papalem auctoritatem.<sup>7a)</sup> Ne vero ex magna animorum dissensione, qua Graeci barbaris, orthodoxi haereticis obsti-

<sup>7)</sup> Schlosser: Geschichte der bilderstürmenden Kaiser. p. 613.

<sup>7a)</sup> Jagemann: Geschichte der Wissenschaften in Italien. III, 1, 171 et infra; ubi de Graeca Scotti Eri-  
genae agemus doctrina.

terunt, majora exorirentur detimenta, neve Graecis prorsus neglectis majores occidenti offunderentur tenebrae, cavit maxime Carolus Magnus, cuius, quae de Graecis studiis fuerint merita, jam expōnemus, ubi universas causas, quibus tunc Graeca per medium atque occidentalem Europam colebantur, explicaverimus.

### Caput decimum quintum.

Quae causae fuerint ut inde ab octavo usque ad undecimum saeculum ad Graeca se conferrent studia.

Quum octavo nonove saeculo Graeca studia a publico foro communique hominum conspectu recessissent, atque intra scholarum et monasteriorum parietes quodammodo educarentur, quum ex sole in umbram confugissent<sup>8)</sup>) Graecamque linguam non ita tractarent homines, ut penitus perspicerent atque ad vivum quasi corpus redigerent, sed ut secundum grammaticae artis praecepta scholarum ratione hanc linguam cognoscerent singularique interpretum auxilio indigerent, ut ex usu quodam ea colloquerentur, his quinque commovebantur causis, quibus in Graecas incumberent literas.

Jam quum penes duos imperatores summum esset imperium, quorum alter, Byzantinus, orienti prospiceret, alter, Romanus, cuius Carolus Magnus restituerat potentiam, occidentem in sua teneret ditione, fieri non potuit, quin alter suos fines proferens alterius arctius circumscriberet. De mediis potissimum agris inter haec duo regna sitis pugnaverunt, ut Italia orientalis atque inferior, Istria, Dalmatia, et quae aliae hisce sunt conterminae regiones, essent, in quas decertaturi descenderent. Ex his bellis nonnulla in literarum redundasse commoda, eum minime fugiet, qui, quantum res domi militiaeque gestae cum bonis artibus cohaerant, accuratius secum reputaverit. Itaque, quum Pippinus, Caroli filius, una cum Beneventi principe Byzantinos devicisset atque Istriam occupavisset, saepius ab alteris ad alteros missi sunt legati<sup>9)</sup>), quos, diutius in regia Francorum aula moratos multisque honoribus ornatos, nonnulla certe Graecae linguae semina sparsisse, facile intelligimus.

<sup>8)</sup> Cramer: De Graecis medio. p. 10.

<sup>9)</sup> Annis 797, 798, 799 et 802, cf. annal. Bertinian. ap. Pertz scripp. I, 413, seq.

Neque solum inter duos imperatores erant certamina de terris interjectis, verum etiam summi utriusque terrae pontifices, qui ex eo inde tempore, quo ex una christiana duae factae sunt ecclesiae, Romae et Constantinopoli res sacras temperabant, populos medios ad suam uterque fidem studebant convertere, saepeque inter se certabant, utrum Romanae an Graecae ecclesiae fines proferrentur christianaque religionis semina utrum Graeca an Latina lingua et spargerentur et foverentur. Jam ante illud schisma, quo Graeca a Latina defecit ecclesia Graecique se Romani papae exuerunt jugo, in Bavaris, quippe qui Graeciam omnium Germanorum attingerent maxime, missa non Latina sed Graeca lingua habita esse dicitur,<sup>10)</sup> immo si Grimmio nostro fidem habemus, jam antiquissimis temporibus Ἀρεος nomen ac cultus ad Bavaros transiit, unde Martis nomen seu in lingua vulgari *Ertag* esse nominatum judicat.<sup>11)</sup>

Inter viros rerum Slavicarum peritissimos magna quidem est rixa, utrum ex Byzantio nonnulla in Bohemiam et Moraviam redundaverint, Graecaque in christiano harum regionum cultu olim multa valuerint, ut Palacky censet,<sup>12)</sup> quocum equidem consentio, an Graecis prorsus nullus fuerit locus, qualis Copitarii est sententia.<sup>13)</sup> Id vero constat unam tantum Slavorum gentem hodie quoque utramque, et Latinam et Graecam, ut de reformata taceam, profiteri fidem et partem ejus illi, partem huic addictam esse confessioni, tuncque Johannem octavum, papam, anno DCCCLXXIX Paulo episcopo Anconitano, (ex qua urbe in Graeciam saepius navigabant) qui tunc Constantinopolin erat missus, scripsisse: „tibi directis prohibuimus, ne in ea (sclavina) lingua sacra missarum solemnia celebrares, sed vel in *Latina* vel in *graeca*, sicut ecclesia dei toto terrarum orbe diffusa et in omnibus dilatata cantat.<sup>14)</sup>“ Qua in re id mihi piae caeteris memoria videtur esse dignissimum, quod idem papa literis duobus annis post scriptis Graecam linguam prorsus omittit, ac Latinam tantum memorat et commendat.

<sup>10)</sup> De Graecis med. aev. studiis. pag. 43.

<sup>11)</sup> Grimm: Deutsche Mythologie 1, 183, qui alio loco deam quandam Bavaricam, Ere dictam, esse Bellonam dicit.

<sup>12)</sup> Palacky: Geschichte von Böhmen I, 119.

<sup>13)</sup> In prolegomenis codicis Remensis Parisiis 1843 „concludamus ergo — in hodierna Moravia, Bohemia, Polonia liturgiam Graeco — Slavicam viguisse nunquam.“

<sup>14)</sup> Dobrowsky: Geschichte der böhmischen Sprache und Literatur. S. 35.

Quantum equidem video nulla alia causa commotus est Johannes papa, ut Bohemis eadem illa epistola suae seu slavonicae linguae in rebus sacris concederet usum,<sup>15)</sup> — quod tunc inauditum neque Romanae erat ecclesiae,<sup>16)</sup> pro qua, ut unus papa, una ecclesia, una quoque lingua in rebus divinis digna erat, qua sacra mysteria effarentur —, nisi ea, qua Graecam rejiceret atque oppimeret. Verum enim vero, quales veteres Graeci fuerant, ut variis ac diversis uterentur dialectis suae linguae, neque id agerent quod Latini, qui tyrannorum instar unam tantum linguam immunem quasi haberent ac caeteras quasque Italicas dialectos magis magisque rejicerent, talis erat utriusque, et Graecae et Romanae, ecclesiae ratio et via posteriore seu christiano tempore. In Graeca ecclesia non solum praeter Graecam patria quoque lingua popularique sermone utebantur in rebus sacris, imo nonnisi vernacula sua lingua divina interpretabantur mysteria, quare Gothi, qui omnium Germanorum primi et quidem a Graecis christianam docti erant fidem, quum scripturam sacram tum universam liturgiam in publico dei cultu Gothicam habuerunt,<sup>17)</sup> ubi vero Latina regnabat ecclesia, ibi summopere cavebatur, ne qua alia in rebus sacris uterentur lingua, nisi Latina, quae una erat casta ac sancta, quum ceteras quasque indigniores haberent, quam quibus divina eloquerentur. Quo factum est, ut Slavi, prae caeteris populis patrii sermonis priorumque carminum amantissimi, neque ita ab omni parte Romano cultu obstricti ut Germani, quorum Goths soli, quamdiu in orientali sedebant Europa, multa cum Slavis habent communia,<sup>18)</sup> libenter in Graecum inclinarent cultum, atque ex Graecis, quorum praeterea vicinae essent sedes, repeterent christianaे religionis magistros ac sacerdotes, ubi novae fidei commoti erant desiderio. Sic Ratislavius, Moraviae dux, misit anno DCCCLXII legatos arcessitum ex Constantinopoli sacerdotes, per quos Slavica

<sup>15)</sup> Idem p. 35, et Cramer: zur Geschichte des Studiums fremder Sprachen in Pädagogische Revue, p. 179 u. 191, September 1851.

<sup>16)</sup> Quae S. Bonifacius, Moguntiacus et S. Cudbertus, Cantaruensis episcopus, quaeque Carolus Magnus anno 813 publice edixerint de linguis popularibus in rebus sacris adhibendis, hue referri nequeunt. Cf. Bonifac. epp. p. 142 ed. Wurdtw. Pertz Leg. I, 130, 135, 137, et Cramer: Geschichte der Erziehung in den Niederlanden. S. 48.

<sup>17)</sup> Wackernagel: Gesch. der deutschen Literatur p. 17, not. 2.

<sup>18)</sup> Idem p. 21 et Cramer: de Graec. med. aev. stud. I, p. 2—6 et p. 43, de Graecae linguae in Bavaria usu.

lingua christianis imbuerentur praceptis.<sup>19)</sup> Ratislavio lubentissimo satisfecit animo Michael, Graecorum tunc imperator, missis Cyrillo et Methodio, fratribus illis ex Thessalonica urbe oriundis, quorum ille incredibili fere linguarum eminuit peritia, si verum est quod narrant, eum Graecae, Latinae, Slavonicae, Armenicae, Chasaricae linguae gnarum fuisse.<sup>20)</sup>

Thessalonicae haud scio an cuncti Byzantini regni urbibus, praeter Constantinopolin, anteponendam esse judicem, quum medio aevo, quo bonarum artium studia admodum fracta erant ac debilitata, Graecam doctrinam p[re] caeteris aluerit et auxerit. Thessalonicae non solum maturime christiana[rum] ecclesiae jacta sunt fundamenta,<sup>21)</sup> verum etiam Graecorum lingua, quae ibi antiquitus floruerat, cum Slavorum nuper ibi considentium, neque minus rerum sacrarum cum profanarum doctrina conjunctae erant intime; Thessalonicensis fuit medio saeculo nono archiepiscopus ille Leo philosophus, qui postea Constantinopoli philosophiam docuit publice et de liberalibus artibus in Graecia instaurandis optime est meritus; Thessalonicae duobus saeculis post vixit Eustathius, qui Thessalonicensis archiepiscopus, ab anno MCLX usque ad MCLXXXIX, quum rebus sacris in provincia sua prospexit tum excerptis in Homeri Iliadem et Odysseam conscriptis magnam sibi paravit gloriam;<sup>22)</sup> Thessalonicae erat natus Theodorus Gaza, unus ex clarissimis instaurandarum Graecarum literarum auctoribus, qui Graecam scripsit grammaticam,<sup>22a)</sup> Rudolphumque Agricolam Graecae linguae, quam Ferrariae docuit publice, tanto inflammavit amore, ut eum primum ac sumnum Graecarum literarum citra Alpes redderet magistrum; Thessalonicae denique tanta erat literarum Graecarum subtilitas, ut, qui vocis orisque gloriabantur suavitate, se Thessalonicae esse natos simularent.<sup>23)</sup>

<sup>19)</sup> Palacky, I, p. 121.

<sup>20)</sup> Idem I, 1.

<sup>21)</sup> Cf. Acta apostol. 17, 1 et Pauli apostol. epistolas ad Thessalonicenses scriptas.

<sup>22)</sup> Eustathius Constantinopoli publicus rhetoricae artis fuerat magister seu μαθητωρ ὑπόδοσιν.

<sup>22a)</sup> In quartum hujus grammaticae librum scripsit postea Neophytus „recentiorum Graecorum in Graeca Grammatica facile princeps“ commentarium. Cf. Homeri Ilias. Scholia in eam antiquissima. Ed. Villoison. Prolegom. p. XIII, not.

<sup>23)</sup> Ut Leontius ille Pilatus, Petrarcae in Graeca lingua magister primusque Homericorum carminum in Latinam linguam translator, de quo Petrarca Sen. I, libr. 3, ep. 6 haecce: Leo noster vere Calaber,

Graeca vero lingua ex Bohemia et Moravia haud ita multo post Cyrillum et Methodium recessit, nam S. Procopii, qui sub annum MXXX nonnullos monachos ex Dalmatia vocavit et Slavonicum seu Graecum cultum ex Ruthenis in Sazavam monasterium transtulisse fertur, minor erat gratia minorque auctoritas, quam qui Graeca in Bohemia promoveret et augeret.<sup>24)</sup> Contra in Dalmatia, in cujus oram Graeci ex Peloponneso fugitivi anno DLXXXIX coloniam deduxerant, quam Epidaurum nominabant,<sup>25)</sup> (cui postea Ragusae erat nomen) itaque Graecae linguae certam posuerant sedem, vel anno MLX lege fuit sanctum, ut divina mysteria in Latina et Graeca lingua celebrarentur.<sup>26)</sup> De Bulgaria quoque inter Graecos et Romanos sacerdotes rixae erant exortae, donec res eo pervenit, ut Johannes Bulgariae dux Innocentio tertio papae se subjiceret atque ad eum, ut summum auspicem, omnia deferret.<sup>27)</sup>

In populis, qui hue pertinent, Hungari prae ceteris sunt nominandi. Ut enim recentiore aetate, decimo sexto potissimum et decimo septimo saeculo, Hungaria palaestra quasi erat in qua Turcae et Germani, orientalis et occidentalis Europae populi, inter se decertarent, ita nono et decimo saeculo, donec Stephano Sancto regnante Latina ecclesia rerum ibi potiretur, Graeci et Latini, utrius dominandi cupidissimi, pro singulari sua fide dimicabant acerrime. Sic medio fere saeculo decimo duo Hungarici principes, Bulosudes et Gylas, christianam amplectentes fidem, Constantinopoli baptizati sunt, quorum exemplum, quum magnis multisque donis a Graecis hanc ob rem ornarentur, multos esse secutos est verisimile. Imo Theophylactus patriarcha Hierotheum monachum in Turciam sive Hungariam — πρὸς Τούρκους τοὺς Οὐγγρούς καλούμενους dicit Cedrenus, saeculi undecimi

sed, ut ipse vult, Thessalus (Thessalonicensis, ut Boecaccio in genealogia deorum dicit, I, 15, c. 6), quasi nobilius sit Graecum esse, quam Italum etc.

<sup>24)</sup> Wiener Jahrbücher: vol. XLV, p. 137 et Prohasea: de saecularibus liberalium artium in Bohemia et Moravia fatis, p. 68.

<sup>25)</sup> Scherer: Geschichte des Handels, I, p. 283. Vide sex tabulas Graeca lingua scriptas, quibus, quae reipublicae Ragusanae evenerint annis 1206, 1251, 1451, exponitur, in actis philos. histor. academie Vindobonensis, tom. VII, p. 337—354. Ex glossario addito, quantum procedente tempore Graeca lingua sit mutata, intelliges.

<sup>26)</sup> Annales Vindobonenses vol. XLV, p. 137; Prohasea de saecularibus liberalium artium in Bohemia et Moravia fatis, p. 68 et Dobrowsky, I. l. p. 36.

<sup>27)</sup> Cf. Adriani secundi papae Graecam ad Ignatium epistolam in Scotti operibus edit Floss, p. 1311.

scriptor<sup>28)</sup> — misit, qui multos in christianam recepit societatem.<sup>29)</sup> Omnia tunc Hungarorum et Byzantinorum frequentissimum fuit commercium, quum secundo fluvio Danubio merces e Germania Constantinopolin veherentur, tantaque tunc Hungarorum multitudo vixit Constantinopoli, ut Stephanus rex, cui Sancto erat cognomen, singularem suis civibus seu Hungaricam conderet ecclesiam, anno MXXXIX atque efficeret, ut non Graeco sed domestico jure apud judices eorum res dijudicarentur.<sup>30)</sup>

Tertia causa, in quam delapsi sumus quaque Graecae linguae studium et alebatur et colebatur, erat mercatura et commercium, quo ab altera in alteram terram merces commutabantur. Etenim ut apud antiquae memoriae populos primum aliarum linguarum studium ex mercatura est exortum, primique ii alienorum ac peregrinorum populorum sermonibus descendis operam naverunt, qui rerum emendarum et vendendarum erant interpretes, ut apud Scythas et Aegyptios,<sup>31)</sup> sic etiam medio aevo, quo ex communi omnium rerum strage magna ac frequens effloruit mercatura, scholae quasi interpretum exoriri potuerunt, quibus in aliarum linguarum incumbebant studia, praesertim quum Constantinopolis et Venetiae opportuno situ aptissimae essent urbes, quibus quum variarum regionum opes mercesque tum variorum populorum linguae et artes mutarentur facillime. Graecorum vero et Italorum, seu potius Venetorum mercatura magis magisque ita est aucta, ut tandem in unum fere coalescerent, Venetique, qui DCCCCLXXXVII Dalmatiae fere semigraecae<sup>32)</sup> oras sibi subjecerant, anno MLXXXV a vectigalibus Byzantinorum aerario solvendis liberarentur atque singularibus beneficiis ornarentur, eodem saeculo, quo Hungaros frequentes Constantinopolin confluisse memoravimus. Praeter Venetos priore medio aevo Amalfitani mercatores, qui Dyrrachium et Constantinopolin navigaverunt, magnis fructi esse

<sup>28)</sup> Cedreni historiarum compendium, tom. II, p. 255, ed. Bonnensis.

<sup>29)</sup> ὡς ἐπεισ γενόμενος πολλοις ἀπὸ τῆς βασιλείης πλάνης εἰς τὸν Χριστιανικὸν ἔκπατεν. Cedren. tom. II, p. 338.

<sup>30)</sup> Scherer: Geschichte des Handels, I, 189.

<sup>31)</sup> Cramer: De studiis, quae veteres ad aliarum gentium contulerint linguas, p. 6, ubi de centum triginta interpretibus agitur, qui Dioseuriade orientalium et Romanorum negotia gerebant.

<sup>32)</sup> Vide quae supra de Graeco illius terrae cultu notavimus.

videntur privilegiis.<sup>33)</sup> Maximum quidem mercatura cepit incrementum inde ab expeditionibus in terram sanctam susceptis, quibus Genua quoque et Pisa augebantur divitiis et potentia, quantum vero Veneti antea commercio suo valuerint, inde possumus colligere, quod sub initium illarum expeditionum Perae, quod est suburbium Constantinopolitanum, decem millia suorum mercatorum vitae posuerant tabernacula.<sup>34)</sup> Judaei, quos inter Arabes et Christianos in Hispania se interposuisse notum est, illi mercaturaे, qua servi vendebantur quaeque inter Venetias et Constantinopolin admodum florebat, prospexerunt servosque ab altera in alteram transportandos curaverunt.<sup>35)</sup> Quantum tunc animis fluctuaverint inter Graecam et Romanam ecclesiam qui multum cum Graecis consuescebant, ex ipsa Venetorum historia potest perspici, qui, alioquin papae ac Latino cultui deditissimi, rixis cum papa exortis se a Romana ecclesia esse defecturos Graecosque rerum sacrarum ministros ex Graecia esse arcessituros nonnumquam sint minati.<sup>36)</sup> Contra papae, si, Germanorum imperatorum aegre ferentes jugum, ad Graecos, ut in gratiam cum iis redirent, confugerunt, ut Stephanus nonus non multo ante Gregorium septimum, Venetis potissimum intercedentibus id videntur egisse.<sup>37)</sup>

Jam, ut a rebus publicis ad privatas descendamus, quarta causa, qua Graecis literis colendis consulebatur et prospiciebatur magnopere, erat in matrimonii, quibus occidentalis Europae principes Graecorum imperatorum filias uxores duxerunt itaque Graeca ad Germanos et Italos transtulerunt studia. Verum enim vero si quid erat, quo medio aevo in hominum animis humanitatis veraeque pietatis igniculi ac semina spargebantur, per uxores factum est, quae, si ex cultioribus ad barbaras pervenerunt gentes, prioris suae patriae literas artesque secum quasi in novas transtulerunt sedes. Sic paganorum principum uxores christianaे

<sup>33)</sup> Leo: Geschichte der italienischen Staaten, I, 341.

<sup>34)</sup> Scherer: I, 275 et 294. In nostram rem conferas foedus de pace et mercatura anno 1265 ictum a Venetis et Michaeli Palaeologo lingua Graeca, Germanica, Latina redditum Tafelii ac Thomae opera in actis philosoph. historicis académiae Vindobonensis, tom. V, 180—209, qua edito duumviri illi periculum majoris operis, quo fontes rerum Venetarum sunt edituri.

<sup>35)</sup> Leo: I, 343, et, quod ad Galliam meridionalem; Jourdain, Geschichte der aristotelischen Schriften im Mittelalter, übersetzt von Stahr, p. 48.

<sup>36)</sup> Leo: Geschichte der italienischen Staaten, III, 63.

<sup>37)</sup> Idem I, 429.

suae fidei prae caeteris fuerunt missionariae suisque exemplis effecerunt, ut, ineunte certe media aetate, christiana religione imbuerentur, qui ab ea erant alieni. Satis est, ut pauca tantum afferam exempla, memorasse Clotildam, Ludovici illius uxorem, quae ex Burgundionibus ad Francos, Bertham et Ingundam, quae a Francis ad Britannos et Hispanos, Theudelindam, quae ex Bavaria ad Longobardos, Dombrowcam et Odam, quae ex Bohemia jam tunc christiana et Germania ad Polonos; Annam, quae ex Graecis ad Russos christianam traduxerunt fidem, atque suos maritos populosque iis subditos in rem suam et christianam converterunt religionem. Quales in religione, tales in literis artibusque erant feminae, et quidem potissimum in Graecis literis propagandis, quibuscum humanitatem semper conjunctam fuisse intime superioribus exposuimus paginis.<sup>38)</sup>

Unum prae caeteris mihi videtur fuisse quo feminas de docenda ac transferenda Graeca lingua optime esse meritas crediderim, prisca ac genuina Graecorum verborum pronuntiatio, quod ex singulari earum natura potest conjici, ex qua non solum Plato feminas optimas esse antiquae dialecti conservatrices censet, verum etiam Cicero<sup>39)</sup> bene judicat: „facilius mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt.“ Vociis igitur sonum retinuerunt proprium rotundo ac vere Graeco ore pronuntiantes verba. Exeunte quoque medio aevo, uade quid primo praestiterint conjicere possumus, haec virtus in mulieribus laudatur. Philephus enim<sup>40)</sup> haecce scribit: „viri aulici veterum sermonis dignitatem atque elegantiam retinebant: imprimisque ab ipsis nobilibus mulieribus, quibuscum nullum esset omnino cum peregrinis commercium, mirus ille ac purus Graecorum sermo servabatur intactus.“<sup>41)</sup>

Fieri denique potuit, quae quinta est causa, ut multi in Graeciam, tamquam veram bonarum artium sedem, itinera facerent, aut communi literarum

<sup>38)</sup> De Gr. m. aev. st., cap. 3, p. 7. In hanc nostram rem conferas, quae supra de Anastasio bibliothecario diximus.

<sup>39)</sup> De oratore III, c. 2, p. 44.

<sup>40)</sup> In Johannis Argyropoli vita anno 1451 scripta.

<sup>41)</sup> Neque minus saeculo decimo quinto Graeca sua elegantia eminebat Caecilia Gonzaga, quam decem annos natam elegantissima Graeca scripsisse carmina, ejus narrat praeceptor Victorinus Feltensis. Cf. Bild eines vorzüglichen Jugendlehrers aus dem Leben und Wirken Viktorins von Feltre, p. 12.

studio ducti, ubi ex ipso philosophiae haurirent fonte, aut accuratam ejus linguae cognitionem sibi paratum, qua prima libri sacri essent scripti quodque esset primum solidioris christianaे doctrinae fundamentum. Memoriae est mandatum decimo tertio potissimum saeculo multos solidioris doctrinae studiosos Venetiis Constantinopolin se contulisse, qua Graecam perdiscerent linguam.<sup>42)</sup>

### Caput decimum sextum.

Quae Caroli Magni de literis Graecis fuerint merita.

Universis causis commemoratis, quibus ab octavo nono saeculo Graeca studia novum ceperint incrementum, jam singula horum studiorum afferamus exempla, et quidem non ita, ut singulas singulis capitibus recenseamus terras, qualis in priore parte fuit via ac ratio, sed ut uno quodam conspectu totam rem proponamus atque uno velut tenore enarremus, rerum publicarum sequentes normam ac legem, qua literae quoque continentur, quum qualis civitatum, talis literarum sit conditio. Jam quum prima media aetate singulae civitates, quae recens erant exortae ex communi illa hominum rerumque strage, essent sejunctae neque ullo firme ac diuturno vinculo conjunctae, procedente vero tempore magis magisque continerentur, ut christianaе religioni et publicae melius prospicerent saluti, factum est, ut Francorum seu Germanorum regnum medius esset locus seu centrum, ad quod omnes res adverterent, et quidem maxime ab eo inde tempore, abs quo penes Francorum reges summa orbis terrarum seu nova imperatorum erat potestas. Duae tantum terrae, Hispania et Britannia, pro singulari suo situ, quo diversae erant a media continentique Europa, in literarum studiis aliam ac caeteri secuti sunt viam suumque tenuerunt cursum, neque tamen, quum tunc omnia ex christiana fide, quae per occidentem una et eadem erat, penderent, ita a caeterorum abhorruerunt cultu atque habitu, ut prorsus ab iis possint sejungi. A Carolo igitur Magno sit initium.

<sup>42)</sup> Foscari: della literatura Veneziana, p. 38, Padova 1752, fol.

Carolus Magnus ut summam rerum potentiam sibi paravit, ita literarum quoque tunc per occidentem fuit quasi tutor et patronus, quum non solum doctissimos quosque suae aetatis viros undique in suam perduceret aulam suosque redderet, verum etiam singulis singulorum populorum literis faveret magnopere, et carmina popularia, quae vulgi ore circumferebantur, colligendo et utramque antiquitatis linguam fovendo; nam Graeca studia diu intermissa revocavit, imo primus iis, si non citra Alpes, tamen in Germania septentrionali, novas sedes, quibus considerent, attribuit, Latinam vero linguam, quae admodum fuit depravata per monachos, ad pristinam ac genuinam reducere studuit naturam et sinceritatem.<sup>43)</sup> Utrumque cohaerere intime, quum, qui alteram ab altera se Jungat lingua animi et corporis discidium facere videatur,<sup>43a)</sup> praeceteris exeunte medio aevo docemur, quo tempore, quum literae artesque, et quidem Graecae potissimum instaurarentur, ut elegantius quoque atque ornatius scriberent Latine, operam dederunt viri bonarum literarum studiosi. Satis est hoc loco epistolas obscurorum virorum Laurentiique Vallae de elegantiore latinitate merita in memoriam revocasse. Neque igitur est mirandum quod Carolus (qui ab ejus steterunt partibus) non modo dictionem bene latinam esse voluit,<sup>44)</sup> verum etiam, praeter Latina et Christiana, profana et saecularia ac Graeca potissimum augebat magnopere. Quis est qui perpendere possit, quantum detrimentum profanae literae in monasteriis sine regum tutela cepissent, si ista tetrica ac tristis monachorum ratio plus valuisse, et si, Gregorii Magni aliorumque vestigia prementes<sup>45)</sup> magis magisque saecularia neglexissent.<sup>46)</sup> Omissis vero hoc loco caeteris, quibus Carolus de literis meritus sit optime, quum in multis tum hac in re alter Augustus, ad Graeca tantum respiciamus.

Carolus, qui aequa Latina ac patria lingua orare solebat, Graecam quidem

<sup>43)</sup> Cramer: Geschichte der Erziehung in den Niederlanden. S. 41—43.

<sup>43a)</sup> Mureti variae lectiones II, 20.

<sup>44)</sup> Cf. Caroli Magni constitutionem anni 787 de scholis per singula episcopia et monasteria instituendis, in quibus haecce: „Cognovimus in plerisque conscriptionibus et sensus rectos et sermones incultos — propter negligentiam discendi. Quamobrem hortamur vos literarum studia non solum non negligere, verum etiam ad hoc certatim discere, ut facilius et rectius divinarum scripturarum mysteria valeatis penetrare.“

<sup>45)</sup> De Graecis med. aev. stud. I, 24.

<sup>46)</sup> Rettberg: Kirchengeschichte Deutschlands I, 425 et 427.

melius intelligere quam pronuntiare poterat,<sup>47)</sup> neque tamen unquam a Graecis abhorrebat studiis, imo sunt, qui haec incredibili auxerunt modo, ut Theganus,<sup>48)</sup> ex cuius historia „quatuor evangelia Christi in ultimo ante obitus sui diem cum Graecis et Syris optime correxerat.“ Cum imperatoribus Graecis, Leone quarto, Nicephoro, Michaele, qui complures ad eum miserunt legatos, foedus firmissimum statuit.<sup>49)</sup> Neque solum publice inter se paciscebantur Romanus et Graeci imperatores, quos adeo in Istria manus contulisse vidimus, verum etiam res domesticas mutuis foederibus et matrimonii augere et firmare studuerunt utriusque. Carolus, ut universum Romanum imperium orbemque terrarum inde a Theodosio in duas partes divisum suo conjungeret imperio, Irenam, penes quam post Leonem quartum summa erat orientalium seu Graecarum rerum, in matrimonium petivisse dicitur, Irenaeque filio, Constantino sexto Porphyrogenito una ex Caroli filiabus erat desponsa, quam ut Graecam linguam Graecosque mores doceret Elysaeus eunuchus<sup>50)</sup> in Caroli principis sedes est missus. Alios quoque viros doctos tunc in Germaniam et Galliam ex Graecia venisse jam priore memoravimus dissertatione. Neque minus, ubicunque erant in Francorum regno viri Graecae linguae gnari, eos investigavit eorumque usus est doctrina rex ille praestantissimus in frequenti suo cum Graecis commercio, quo saepius legatos misit Constantinopolin. Talis legatus ad Nicephorum missus erat Hatto, abbas Augiensis, (de Reichenau, non procul a lacu Brigantino) qui Graeca lingua suum iter videtur descriptsse, quantum ex libri titulo, quod est „hodoeporicum“ licet conjicere.<sup>51)</sup> In Augiensi monasterio postea quoque Graeca colebatur lingua, quod quidem non inde concludimus, quod Walafridus Strabo, Augensis monachus ac postea abbas<sup>52)</sup> Rhabanique discipulus, ex Graecia repetit suas comparationes, quandoquidem Theganum historicum, qui in multis, quos laudat, auctoribus Homerum quoque

<sup>47)</sup> Eginhardus: Viti Caroli Magni, c. 25.

<sup>48)</sup> Theganus: De gestis Ludovici imperatoris, c. 7, in Perizii monum. Histor. germanica I, p. 592.

<sup>49)</sup> Eginh. c. 16.

<sup>50)</sup> De Graecis med. aev. stud. I, 28. Cedrenus histor. comp. tom. II, p. 21, ed. Bonn: γενομένων οιμφώνων καὶ ὄρχων (de nuptiis) χατιλέρθη Εἰλισσαῖος ὁ εὐνοῦχος εἰς τὸ διδάσκαιον αὐτῆν (τὴν Θυγατέρα Ερυθρὰ) τὰ τε τῶν Γραικῶν ψεύματα καὶ τὴν γλῶσσαν καὶ παιδεῦσαι πάτην τὰ ἥθη τῆς Ρωμαίων βασιλείας.

<sup>51)</sup> Schönhuth: Chronik des Klosters Reichenau, S. 29.

<sup>52)</sup> Ab anno 842 usque ad 849.

Smyrnaeum nominat (aeque atque ejus aequalis Ermoldus Nigellus<sup>53</sup>), cum Platone, Homero, Sapphone componit, quorum nomina forte fortuna audiverat,<sup>54</sup>) sed potius inde, quod Walafridi Strabonis discipulus, qui fuit unus ex doctissimis saeculi noni viris, Ermenicus DCCCLXVI in Bulgariam est missus, ubi fidem propagaret christianam.<sup>55</sup>)

In Augiense monasterium ex propinquo S. Gallensi Graeca videntur esse translata, in quo monachi prae caeteris literarum studiosi Graecam linguam ex Dosithei discebant grammatica, ut, aeque ac Romae,<sup>56</sup>) Casini, Arelate, in ecclesia Graece quoque deum venerarentur, quum in liturgia pontificali, kyrie, gloria, credo, pater noster Graece, qualia hodie supersunt, canerentur.<sup>57</sup>) Postero quoque tempore in hocce coenobio magna diligentia in Graeca incubuerunt, quin adeo Hartmotum,<sup>58</sup>) ex regia stirpe oriundum, Latinam, Graecam, Hebraicam, Arabicam linguam calluisse narrat Mabillonius. Dies, quo S. Notkerus vita erat defunctus anno DCCCCXII in necrologio Graece notatus erat ipsique monachi Graecarum literarum gnari singulari conjuncti erant societate atque appellabantur fratres hellenici. Notkerum ipsum, cui Balbulo fuit cognomen, Iso<sup>59</sup>) et Marcellus Graecam docuerant linguam. Ex Isonis discipulis fuerunt Tuotilo „in utraque lingua potens et promptus natura,”<sup>60</sup>) atque Salomo tertius, episcopus ecclesiae Constantiensis prope sitae,<sup>61</sup>) quem linguis variis fuisse instructum dicunt, cuique

<sup>53</sup>) Cf. Muratori script. rer. Italie. vol. II, 2:

Si Maro, Naso, Cato, Flaccus, Lucanus, Homerus,  
Tullius et Macer, Cicero sive Plato.

<sup>54</sup>) Pertz monum. II, p. 585 et 600. Theganus et Walafridus familiaritate fuere conjuncti.

<sup>55</sup>) Schönhuth a. a. O. S. 61. Vgl. 91.

<sup>56</sup>) De Graecis med. aev. stud. I, p. 6 et 14.

<sup>57</sup>) Arx: Geschichte von St. Gallen, I, 180. Cramer: Geschichte der Erziehung in den Niederlanden, 55. Cf. Paulus Diakonus Leben u. Schriften v. Bethmann in Pertz Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde X, 1, p. 275: „Auch in Grottaferrata bei Rom lebten griechische Mönche, und in Rom selbst war seit den ältesten Zeiten eine schola Graecorum; (cf. de Graec. med. aev. stud. p. 27) noch bis in's zwölftje Jahrhundert sang die päpstliche Kapelle zu Ostern nach der Vesper vor dem Papste eine griechische Sequenz und die Schulkinder sangen zu Mifasten ein halb lateinisches halb griechisches Lied durch die Strassen.

<sup>58</sup>) Fuit abbas Sangallensis ab anno 872—883. Cf. Ziegelbauer hist. liter. ord. S. B. I, 210.

<sup>59</sup>) Pertz ser. II, 94. Arx I, 93 et 184. Ekkehardus casus St. Galli c. 2.

<sup>60</sup>) Pertz I, 1.

<sup>61</sup>) Ab anno 890—920. Eundem esse crediderim Salomonem, quem Notkerus est hortatus, ut Originis commentarios in Canticum Canticorum viro in Latinam linguam traderet vertendos, si quem haberet, qui utriusque linguae esset guarus. Cf. Jourdain, Aristoteles etc. p. 48.

glossarium Latino-Germanicum adscribunt, in quo Graeca quoque et Hebraica verba lingua vernacula studuit reddere. Sunt qui dicunt, Isonem praceptorum hujus lexici esse auctorem.<sup>62)</sup> Praeter Hattonem misit Carolus Magnus Amalharum episcopum Trevirensim, Petrum abbatem Nonantulensem Constantinopolin, qui vere anni DCCCXIII cum Michaele imperatore de pace agerent, quibuscum Leo, Michaelis successor, legatos ad Carolum remisit<sup>63)</sup> Christophorum protospatharium et Gregorium diaconum.

Longe vero maximi momenti est Caroli Magni praceptorum de scholis Graecis et Latinis in ecclesia Osnabrugensi instituendis, anno DCCCIV, quod capitulare genuinum esse nonnulli sine justa negaverunt causa. Hac lege in septentrionali Germania, in Saxonibus Graeca quasi condidit studia atque id potissimum egit, ut praeter communem doctrinae usum ac praeter grammaticam lectionem quum publicae vitae tum legationibus mittendis inde nascerentur commoda. „Nisi forte,“ inquit, „contingat, ut imperator Romanorum vel rex Graecorum conjugalia foedera inter filios eorum contrahere disponant,<sup>64)</sup> tunc ecclesiae illius episcopus, omni sumtu a rege vel imperatore exhibito, laborem simul et honorem illius legationis assumat. Et hoc ea de causa statuimus, quia in eodem loco Graecas et Latinas scholas in perpetuum manere ordinavimus, et nunquam clericos utriusque linguae gnaros ibidem deesse confidimus.“

Altera in antiqua Saxonia schola, qua literae artesque et quidem Graecae potissimum non multo post Carolum colebantur, fuit Corbeiensis, quod monasterium nomen traxit a Francogallico, non procul ab Ambiano sito, cuius abbas Ratramus Romanam ecclesiam „contra Graecorum opposita infamantia“ egregie defendit saeculo nono.<sup>65)</sup> Ut taceamus de magna doctrina, qua Saxonum Corbeienses eminuerunt, deque viris ingenuarum literarum studio clarissimis, in quibus Anscarius, septentrionalis Germaniae ut Scandinaviae Bonifacius, prae caeteris eminent, unum Christianum Druth-

<sup>62)</sup> Beiträge zur Geschichte der Studien und des Unterrichts von Constanz von Lender. Programm von Constanz 1833, p. 12.

<sup>63)</sup> Ludwigs des Frommen Leben von Thegan, übers. von Julius von Jasmund, S. 8, Ann.

<sup>64)</sup> Qua de re saepius diximus, ut pag. 12.

<sup>65)</sup> D'Achery spicilegium, p. 63, Ampère III, 89. Unde Ratramus Graecarum literarum non fuisse ignarum vix potest dubitari.

marum monachum nominamus, qui medio saeculo nono „vir certe undecunque doctissimus, Graecae et Latinae linguae peritus“ fuisse dicitur.<sup>66)</sup> Neque postea Corbeiae et Osnabrugii Graeca prorsus jacebant studia, quamquam certis probare nequimus documentis. Duodecimo enim saeculo Wicboldus quidam seu Wibaldus, quem annales Corbeienses<sup>67)</sup> scholarum reformatorem et abbatem incomparabilem nominant, ab imperatore Germanico jussus bis Constantinopolin legatus est profectus, et hac in urbe anno MCLXXIV diem obiit supremum.<sup>68)</sup> Osnabrugii vero decimo tertio saeculo Hermannum abbatem eximiam Graecarum literarum sibi parasse doctrinam infra videbimus, ubi ad illam pervenerimus aetatem.

Celeberrima quidem Carolo regnante fuit Turonensis in Gallia schola, cui Alcuinus ille praefuit, et in qua Sigulfus artes liberales, atque Theophilus Graecam docuit linguam,<sup>69)</sup> neque tamen haec, cui non solum in meridionali Gallia verum etiam in Mettensi, Elnonensi et Riquensi monasteriis tunc studebant,<sup>70)</sup> prospero successu videtur esse culta Turonii, in qua academia mathematicam et astronomiam primum tenuisse locum crediderim. Scripsit quidem Carolo Alcuinus „ego Flaccus<sup>71)</sup> vester — alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo, alios grammaticae subtilitatis enutrire pomis incipiam,“ Graecae tamen linguae non ita gnarus erat, quantum ex ejus etymologia, qua epistolae vocem ab *επι* et *στόλα* derivat,<sup>72)</sup> et ex consuetudine potest conjici, qua vix atque obiter tantum Graeca memorat, Latinos vero saepius citat autores. Quum vero in Britannia esset natus atque educatus, ubi tunc praeter

<sup>66)</sup> Trithemius chronicon Hirsauense ad annum 853 et de scriptt. eccles. p. 127, Cramer: Geschichte der Erziehung in den Niederlanden. S. 326.

<sup>67)</sup> Si ad hos, quos falsos esse atque subditos jam virorum doctorum patet judicio et subtilitate, provocare licet.

<sup>68)</sup> Geschichte der Erziehung in den Niederlanden. 108.

<sup>69)</sup> Histoire littéraire de la France IV, 14, 48, 301. Mabillon acta SS. I, 522.

<sup>70)</sup> De Graecis med. aev. stud. I, 33—35, Bethmann I, 1, p. 265 et 277.

<sup>71)</sup> Ut exente medio aeo Graecis se ornabant cognominibus, ita ineunte Latinis potissimum. Neque tamen Graeca deerant. Sie ex Alcuini discipulis Angilbertus, Homerus, Richbodus, postea episcopus Trevirensis, Macarius est cognominatus.

<sup>72)</sup> Cf. Alcuini epist. 143 in Ale. opp. tom. I, p. 205 ed. Frobenii. Mira sunt quae antiquitatis et mediis aevi scriptores in etymologicis praestiterint. Cf. de studiis, quae veteres ad aliarum gentium contulerint linguas p. 4, et nonnulla exempla in: Cobet, oratio de arte interpretandi grammatices et criticis fundamentis innixa primario philolog. officio, p. 8. Etymologicum mediis aevi exemplum est: presbyter, homo qui preberet suis iter.

Italiam et in ingenuis artibus et in Graecis versabantur maxime,<sup>73)</sup> fieri potuit ut Graeca Latine redditia legeret et, quamvis minus in Graecam incumberet grammaticam et lectionem, Graeca quadam natura Graecoque ingenio afflaretur. Neque sine stupore Alcuini admiramur facultatem ac facilitatem, qua colloquendo varia variarum disciplinarum exponit paecepta; nam tria opera, in quibus de grammatica,<sup>74)</sup> rhetorica, dialectica agitur, Platonicis fere et Socratis scripta sunt dialogis.<sup>75)</sup> Huc accedit metaphorica atque allegorica dicendi ratio, qua poetarum instar non res ipsas sed earum imagines et symbola exprimunt Alcuinus, Rhabanus, alii horum virorum discipuli, quaque aequa ac Socrates juvenum acuunt animos. Etenim hic, ubi ex eo quaerunt, qualis res sit, respondet potius, qualis non sit, ut veram rerum naturam non accipient juvenes literarum studiosi, sed ipsi cogitando inveniant. Maximi momenti hac in re est „disputatio regalis et nobilissimi juvenis Pippini cum Albino scholastico.“<sup>76)</sup>

### Caput decimum septimum.

De Graecis Pauli diaconi et Longobardorum meritis.

Inter viros, quos Carolus ex aliis terris literarum arcessivit magistros, nullus Graeca studia tantopere promovit et auxit, quantopere Paulus diaconus seu Paulus Warnefridi filius, de quo, quum eximia sua doctrina pae omnibus aequalibus eminuerit, hoc loco fusius agemus, itaque, quae alio loco attulimus,<sup>77)</sup> supplebimus, praesertim quum singulari Bethmanni nunc adjuvemur dissertatione,<sup>78)</sup> qua Warnefridiana de bonis artibus ac de historia merita exponuntur diligentissime.

<sup>73)</sup> De Graecis med. aev. studiis. I, pag. 38—42.

<sup>74)</sup> Maximi tune facta est Alcuini grammatica, Notkerus enim Balbulus (de quo in Geschichte der Erziehung in den Niederlanden p. 95 plura attulimus), ad Salomonem discipulum „Albinus, inquit, talem grammaticam condidit, ut Donatus, Nicomachus, Dositheus et noster Priscianus in ejus comparatione nihil esse videantur.“

<sup>75)</sup> Cf. potissimum dialogum de rhetorica et virtutibus tom. II, pag. 313 seq. ed. Frobemii, in quo de quatuor agit virtutibus, quas cardinales dicunt.

<sup>76)</sup> Rhabanus allegorias in universam scripturam scripsit. Cf. ejus opera tom. V, p. 749. De allegoria docendi interpretandique methodo nonnulla attulimus in Geschichte der Erziehung in den Niederlanden. p. 26 et 212.

<sup>77)</sup> De graecis m. aev. stud. p. 29.

<sup>78)</sup> In Pertz Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde. X, 1.

Quanti momenti scholae palatinae medio fuerint aevo quum multis exemplis tum Paulina potissimum probatur vita et educatione. Etenim in monasteriis sacrae ante omnes docebantur literae, ut sacerdotes erudirentur, Italorum vero principes ac reges id omnino agebant, ut humanitas, doctrina, bonae artes, quas a Romanis acceperant ac pia antiquitatis memoria servaverant, et colerentur et distribuerentur. Neque solum Ostrogothi, quibus nulli tunc majore literarum flagrabant amore, ut Theodericus, Amalasuntha, alii,<sup>79)</sup> verum etiam Longobardi, quamquam primis temporibus, quibus Italia superiore erant potiti, a literis prorsus abhorabant, ut novam quasi barbariem secum intulisse viderentur, — unde tristissima literarum per Italiā conditio sexto et septimo saeculo — mox literarum dulcedine ita sunt afflati, ut eorum reges et principes literarum studiis prospicerent magnopere.

Paulus ForoJulii natus, quum Paviae, quo tempore Ratchis (DCCXXXIV — DCCIL) Longobardis imperabat, neque minus quam Theudelinda, Cunipertus,<sup>80)</sup> Luitprandus, qui antea de Longobardis regnauerant, literis favebat, in regia aula Flaviano potissimum magistro primis literarum elementis et Graecis esset imbutus, postea Beneventi regnantibus Arichi et Adilperga, quae Desiderii erat filia literarumque studiosissima, publice docuit atque in regiae usum, cui Eutropii historia brevior non satisfaceret, sex historiae Romanae scripsit libros, quibus sive Miscellis, qui est titulus, per totam fere medium aetatem juvenes literarum studiosi historiae summam docebantur. Longobardos in Graeca incubuisse non est quod miremur, quum iis frequens cum Graecis esset commercium, quumque Longobardi, qui contra Carolum Magnum tumultus per Italiā faciebant, ad Graecos confugerent atque ab iis adjuvarentur, ut Adelchis, Desiderii filius.<sup>81)</sup>

Arichis, Longobardicus Beneventi dux, eximia excellebat scientia, quippe qui, ut Paulinis utar verbis in epistola ad Adilpergam scripta „nostrae aetatis

<sup>79)</sup> De Graecis etc. p. 17.

<sup>80)</sup> Rege Cuniberto, exeunte saeculo septimo, Felix quidam grammaticus propter doctrinam a snae aetatis hominibus bene audivit, cf. Pauli diacon. hist. Longob. VI, 4, quumque Paviae esset Julius, Judaeus, cum Petro magistro clarissimo disputavit. Aleuin epist. 15.

<sup>81)</sup> Leo: Geschichte Italiens I, 205 et paparum epistolae in Longobardorum historiam compositae ab Abel in: Paulus Diakonus p. 230 et 221.

solus paene principum sapientiae palmam teneret.<sup>82)</sup> Imo ipsa Adilperga ita bene fuit instituta, ut „philosophorum aurata eloquia — sunt ejusdem Pauli diaconi verba — poetarumque gemmea ei dicta in promtu essent“ filiusque Romoaldus fuit: grammatica pollens mundana lege togatus.<sup>83)</sup>

Templum et coenobium, quod Arichis Beneventi condidit, quodque Graeco vocabulo Agian Sophian nominant, Graecam linguam tunc ibi vulgarem fuisse mihi videtur monstrare,<sup>84)</sup> ipsique Graeci pro intimo, quo cum iis conjuncti erant vinculo, prae caeteris a Beneventanis et Salernitanis, Graecis quodammodo colonis, petiverunt contra hostes auxilium.<sup>85)</sup>

Beneventum literarum studiis adeo inclaruit ut Ludovico secundo imperatore (DCCCLV—DCCCLXXV) ibi triginta duo philosophi, quorum Hilde-ricus liberalibus disciplinis eminuit, docerent. Quae philosophia quum theologiae opponeretur, atque saecularem et quidem grammaticam potissimum amplecteretur scientiam, in his philosophis Graecarum quoque literarum doctores esse numerandos vix poterit negari. In aliis quidem occidentalibus provinciis Carolus Magnus novum literarum incenderat studium, Beneventi vero, quo non pertinuit imperatoris potestas, et cuius urbis duces ei se opposuerunt, domestica indole suoque ingenio auctae sunt literae. Quo tempore Beneventi erat clarissima philosophorum schola, eodem in Sicilia Johannes Graece scripsit chronicon a rerum initio usque ad annum DCCCLXVI, quod hodie typis non est excusum cuique ab anonymo quodam complura sunt addita.<sup>86)</sup> Imo Josephus ex Sicilia oriundus, qui monachus

<sup>82)</sup> In Arichis epitaphio a Paulo diacono composito haecce leguntur:

Facundus, sapiens, luxque decorque fuit.

Quod logos et physis moderansque quod ethica pangit

Omnia considerat mentis in arce sua.

Pertz monum. Germ. Script. III, 482.

<sup>83)</sup> Giesebricht: De liter. studiis apud Italos p. 9 et 10.

<sup>84)</sup> Erchempertii histor. Longobard. c. 3 apud Pertz III, 243.

<sup>85)</sup> Sub annum 870. Pertz III, 534. De literis tunc Beneventi maxime florentibus cf. Leo: Geschichte der italienischen Staaten, 229 et 239 et II, p. 21. Bethmann, Paul Diaconus Leben 257 et Abel I. I. pag. 229—232.

<sup>86)</sup> Usque ad annum 1222. Hoc chronicon est hodie in bibliotheca Vindobonensi. Cf. Fabric. bibliothec. Graeca med. aevi, tom. VII, 471 et VIII, p. 79.

Constantinopoli in monasterio Studio est mortuus,<sup>87)</sup> tunc canticis suis ecclesiasticis, et quidem maxime laudibus in honorem Mariae Virginis compositis non exiguum sibi paravit gloriam. Benevento Paulus, ad quem nunc est redeundum, in celeberrimum illud Casinense monasterium,<sup>88)</sup> indeque propter scientiam literarum „amore et opinione Caroli“ commotus in Franco-Galliam se contulit,<sup>89)</sup> ubi praecipuam regis gratiam sibi conciliavit, et quidem potissimum propter Graecas suas lectiones, quibus multos eosque sacerdotes Graeca docebat, quos comites cum Rothrudi filia sua Constantinopolin ituros designaverat imperator, quibusque jam novam Galliae gloriam esse orturam animo divinaverat. Ut vero nuptiae illae rescindebantur, ita gloria illa irrita est facta. Graecam suam doctrinam illius esse pretii negat quidem Paulus,<sup>90)</sup> ut tamen se Graeca quondam didicisse exemplo probet, Graecum epigramma „de puerō, qui in glacie extinctus est“ reddit Latinum, quantum, quum caeterorum, senectutis onere depresso, sit oblitus, in memoria ex vita sua scholastica tenuerit.<sup>91)</sup>

### Caput decimum octavum.

Qualis Rhabani Mauri aliorumque fuisse videatur Graeca scientia.

In celeberrima Turonensi academia astronomiae praevalebat studium, Fuldae vero tunc Rhabanum Maurum<sup>92)</sup> magistrum Graecae linguae plus operae dicasse crediderim, quam aliis siebat locis. In Fuldense enim monasterium Britanni, a quibus erat conditum Bonifacio auctore DCCXXXIV, Graecum quoque studium, qualemque erat, videntur attulisse, cui postea Rhabanus<sup>93)</sup> praeter

<sup>87)</sup> Anno 883. Cf. Grösse: Lehrbuch der Literaturgeschichte d. Mittelalters I, 313.

<sup>88)</sup> De Graec. med. aev. stud. p. 25—29.

<sup>89)</sup> Bethmann, p. 260.

<sup>90)</sup> Quae verba jam priore dissertatione p. 27 attulimus.

<sup>91)</sup> Bethmann p. 264 et 296.

<sup>92)</sup> Rhabanus Maurs de sua educatione cecinit:

In Fulda post haec dogma sacrum didici.

<sup>93)</sup> Cramer: Geschichte d. Erz. u. d. Unterrichts I, 159.

Latinam et Teutonicam<sup>94)</sup> linguam suam navavit operam. Quum medio aevo, similiter ac veterum memoria, talis fere traditio valeat, qualis in rebus sacris, operaे pretium est Gautberti cuiusdam verba, quae nostrae rei bene convenient, quaeque Bethmannianae debeamus doctrinae,<sup>95)</sup> hoc loco describere: „Theodorus monacus quidam a Tharso Cilitiae atque Adrianus<sup>96)</sup> abbas scolae Grecorum, Romae quondam positi simulque Grecis ac Latinis literis, liberalibus quoque artibus instituti, a papa Romano Britanniarum insulae sunt directi, ac eandem tam salubribus fidei documentis quam etiam saecularis philosophiae inlustrarunt disciplinis. Quorum discipulatui Aldhelmus quidam vir venerandus inherens, Bedam dinoscitur habuisse successorem. Ex cujus fonte quidam, cujus nomen excidit, fluenta hauriens doctrinae, Rhabanum cognomento Maurum eruditorem propriae reliquit scolae. Qui transmarinis a partibus docendi causa accitus ac postmodum episcopatus honore ditatus Alchuini cognomento Albini institutione est dotatus. Qui susceptae scolae eruditioni naviter inserviens, doctrinae philosophicae Smaragdo reliquit gymnica campestria. Quae ille Theodulfo, postmodo Aurelianensi episcopo constituto, contradidisse nisus agnoscitur. Qui per Johannem Scotigenam etc.“

Latinam linguam ex Graeca tamquam ex fonte esse deducendam atque hac ipsa accuratius cognosci censem, si Trithemio fidem habemus,<sup>97)</sup> Rhabanus noster, in cujus scriptis nonnulla Graecae doctrinae deprehendimus vestigia. Sic in brevi sua Prisciani descriptione de syllabae voce derivanda et definienda bene haecce:<sup>98)</sup> „Syllaba est, inquit, proprie congregatio aut comprehensio literarum sub uno accentu et uno spiritu prolata, abusive tamen etiam singularium vocalium sonos syllabas nominamus. Syllaba Graece, Latine conceptio sive complexio dicitur. Nam syllaba dicta est ἀπὸ τῶν οὐλλαμβάνειν τὰ γράμματα, id est etc.“ Homeri vero, cujus carmina interdum memorat,<sup>99)</sup> fama tantum et auditione, non ipsa

<sup>94)</sup> Cf. specimen glossariorum Germanicorum ex Rhabani Mauri glossis latino-barbaricis et ex Rhabani glossario in vetus, ac novum testamentum apud Pieler: de Saxonum saeculi decimi moribus etc. programma Arnsbergense, 1842, p. 31, et Rhab. opera VI, p. 333.

<sup>95)</sup> In appendice ad Pauli diaconi vitam. I. l. p. 333.

<sup>96)</sup> De Graec. med. aev. stud. p. 39, seq.

<sup>97)</sup> Docen: Miscellaneen zur Geschichte der deutschen Literatur I, 172. Rhabanus Maurus v. Bach, p. 10.

<sup>98)</sup> Rhabani Mauri opera I, p. 29.

<sup>99)</sup> Opera I, p. 203: „Coenon vel micton est, in quo poeta ipse loquitur et personae loquentes introducuntur, ut sunt scripta Ilias et Odyssea Homeri et Aeneidos Virgilii et apud nos historia beati Job“ etc. —

lectione habuit notitiam. Id quoque judicium, quo quidquid in philosophorum et quidem maxime in Platonicorum scriptis veri est ac fidei christianaee accommodati, tamquam injuria possiderent, in fidem christianam jubet recipi ac retineri, Augustini potius est quam Rhabani.<sup>100)</sup> Quae quum ita sint, dubito num commentarius in Porphyrium, scriptus sub titulo „Rhabanus super Porphyrium“, quem Cousin, clarissimus Franco-Gallorum philosophus,<sup>101)</sup> Rhabano adscribit, et quo certaminis illius inter nominalistas et realistas semina de reali generum et specierum existentia (ut barbaras res barbaris exprimamus vocibus), quae semina in diversa Platonis Aristotelisque latebant philosophia, a Boethio accepta Rosceilino esse tradita censem, re vera nostri Rhabani fuerit opus. Certe, si scripsit Rhabanus, non Graecum Porphyricum sed eum, quem Victorinus seu Boethius versione sua Latinum fecerat<sup>102)</sup> ante oculos videtur habuisse. Maxima quidem sunt Rhabani de scholis et literis merita, neque vero tanta, quanta plerumque censem, praesertim si Trithemii<sup>103)</sup> premunt vestigia, ex cuius judicio „nec Italia similem nec Germania peperit aequalem Rhabano“, multi enim loci, qui doctrinam quandam redolent, aliunde sunt depromti. Sic in libro de computo quae de Pythea et Thule dicit, ad Bedam de temporibus c. 7 sunt referenda, quo omnino saepius est usus, ut in iis quae de universo scripsit, haec enim ad Bedae librum de natura rerum composuit. Communis vero rerum antiquitatumque fons erant Isidori, Hispalensis episcopi,<sup>104)</sup> originum seu etymologiarum libri viginti, ex quibus multi, et quidem ipse Beda, multa repetiverunt, ut nennulla Rhabaniana ad Isidorum sint referenda.

In eadem legimus pagina: „Decem Sibyllae fuisse traduntur, quarum prima de Persis fuit, secunda Libyca, tertia Delphica, in templo Delphici Apollinis genita, quae ante Trojana bella vaticinata est, cuius plurimos versus operi suo Homerus inseruit. — Quinta Erythraea, nomine Erofila, in Babylone orta, quae Gracchis Ilium petentibus vaticinata est, peritiram esse Trojam et Homerum mendacia scripturum.“

<sup>100)</sup> Rhabani opera t. VI, p. 44 de philosophorum libris. „Ecce de septem liberalibus artibus philosophorum, ad quam utilitatem discendae sint catholicis etc.“ Cf. de Graec. med. aev. stud. p. 5.

<sup>101)</sup> Cousin: Oeuvres inédits d'Abélard, Paris 1836, p. LXXVI et p. 613.

<sup>102)</sup> Porphyrii isagogas in Aristotelis categorias vertisse quidem Victorinum oratorem commentumque ejus quinque libris edidisse Boethium ac postea ipsum accurate transtulisse vidimus in dissert. de graec. med. aev. stud. p. 19. Caeterum Porphyrium, quum magis elementarem scripserit librum ante Aristotelem esse legendum eredit antiquitas, ut narrat Johannes Sarisberiensis. Cf. Johannes von Salisbury Reuter, p. 12.

<sup>103)</sup> De script. eccles. c. 267.

<sup>104)</sup> De Graec. m. aev. stud. p. 38.

Praeter Isidorum maxime exscriperunt Boethium non solum philosophi verum etiam alii scriptores. Sic Luidprandus plurimos suos versus, quos in Antapodosi legimus, ex Boethiana philosophiae depromsit consolatione.<sup>105)</sup> Plurimum vero Graecam quandam simulabant scientiam. Cave credas, scriptores, si Graeca verba immiscent Latinis suis libris, Graecae quoque gnaros fuisse linguae, imo quo minus re vera habebant, eo magis jactabant ac mentiebantur Graecam doctrinam. Quo factum est, ut, quo tempore non ita jacebant Graeca studia, Graecaque viva quodammodo erat lingua, eo magis operam darent, ut Latinis tantum verbis scriberent neve aliena ac Graeca immiscerent. Paulus diaconus, quem tunc ante omnes Graecae linguae fuisse gnarum supra exposuimus, in historia sua Graecis prorsus abstinet verbis, quae multa immiscuerunt Abbo, Luidprandus, Otto Vercellensis, Virgilius grammaticus<sup>106)</sup> alii, quorum aetate Graeca multo minus callebant.<sup>107)</sup> Quin adeo dicendi dixerim formulam seu phrasim quandam inanem, qua, quos a bonis artibus non alienos esse volebant, eos Graeca quoque attigisse dixerunt.<sup>108)</sup> Graecam igitur Rhabani doctrinam non tantam judicaverim, quantam alii, neque vero Graeca prorsus ignorabat.<sup>109)</sup> In Latina autem poesi, quae medio aevo floruit magnopere, Rhabanus<sup>110)</sup> quoque est nominandus.

In doctissimis Rhabani discipulis erat Lupus, Servatus cognominatus, medioque saeculo nono abbas Ferrierensis, non procul ab Aquis Sextiis, qui quidem de literis, et quidem maxime de libris congerendis, bene est meritus, Graeca vero, si quando, levissimo tantum attigit digito, quandoquidem vocis bibliothecae paenultimam quantitatem longam esse ex Martialis probat epigrammate,<sup>111)</sup> atque blas-

<sup>105)</sup> Köpke: De vita et scriptis Luidprandi. p. 139.

<sup>106)</sup> De graec. med. aev. stud. p. 12, 22 et de vna illa gloriola, p. 41.

<sup>107)</sup> Bethmann, Paul. Diak. Leben, p. 277.

<sup>108)</sup> Quae Eginhardus narrat c. 25. Carolum Magnum Graecam melius intelligere quam pronuntiare potuisse linguam, eadem de Ludovico pio Theganus, c. 19.

<sup>109)</sup> Hebraici quoque non prorsus erat ignarus Rhabanus, quantum ex ejus glossario in vetus et novum testamentum potest conjici. Cf. opera VI, 333.

<sup>110)</sup> Cf. versus ad amicum, Oper. VI, p. 203, in quibus nonnulla medium redolent aetatem, ut:  
Sospes in orbe mane, sospes in ore mone.

Odis quas cecinit Flacus, verbosus Homerus,  
Corduba quem genuit, Africa quem tenuit.

<sup>111)</sup> Libr. XIV, 188 (190) v. 2:

Quem mea nec totum bibliotheca capit.

phemus, brevi paenultima pronuntiat:<sup>112)</sup> „nam Graecus quidam, inquit, Graecos blasphemos dicere correpta paenultima mihi constanter asseruit, et ipsum Einhardus noster adstruxit.“ Hunc Einhardum sive Eginhardum, praceptorum suum, qui aeque Graecis ac Latinis doctus esset literis, consuluit Lupus, si in Graeca inciderat verba, quod ex quarta potissimum videmus epistola, ad Einhardum scripta, in qua haecce:<sup>113)</sup> „Abdita in lege et maxime Graeca nomina, et alia ex Servio item Graeca, quae initio vobis direxi, saltem nunc utinam ne gravemini explanare. Valeas clarissime praceptor et pater dulcissime etc.“

### Caput undevicesimum.

Multa et magna collabentibus literis et irrumpte barbarie Joannem Scotum Erigenam praestitisse, moremque Graeca Latinis immiscendi verbis atque Graecomaniam quandam inyaluisse docetur.

Ludovico Pio regnante<sup>114)</sup> et popularia carmina et saecularia studia magis magisque sunt neglecta, quippe qui iis tantum faveret, quae clerici probabant, quaque vere christiana ac pia erant, Ludovicus enim humaniora a sanctis prorsus sejunxit studiis, quae Carolus pater in liberalibus niti indeque maxima capere incrementa censuerat.<sup>115)</sup> Literarum sedes, quas pater condiderat frequentissimas, dilabuntur, tantaque invadit barbaries, ut in ipsa ecclesia inde maxima orientur pericula, et episcopi DCCCXXIV deliberent „quomodo disciplina officii ecclesiastici nimis neglecta per studium reformatur,<sup>116)</sup> ut Lotharius Primus anno insequenti queratur „de doctrina, quae cunctis in locis — et quidem in Italia, in qua superiore ipse novem condidit scholas — funditus sit extincta,<sup>117)</sup> ut Eugenius II, papa DCCCXXVI legem promulget „de scolis reparandis pro studio literarum“, ut denique tribus annis post patres in sexto concilio Parisiensi con-

<sup>112)</sup> Bernhardy: röm. Literaturgeschichte, p. 146.

<sup>113)</sup> Ideler: Leben und Wandel Karls des Grossen von Einhard, II, p. 148.

<sup>114)</sup> Cf. not. 108 de Graeca Ludovici scientia.

<sup>115)</sup> Pertz Leg. I, 45, 65. Carmina a Ludovico maximi aestimabantur, in quibus Sanctorum vitae decantabantur.

<sup>116)</sup> Pertz I. I. I, 238, p. 13.

<sup>117)</sup> Pertz I. I. I, 249, §. 6.

gregati a Ludovico petant,<sup>118)</sup> „ut morem paternum sequentes saltem in tribus congruentissimis imperii Vestri locis scholae publicae ex Vestra auctoritate fiant.“<sup>119)</sup> Cum universis literis Graecas quoque cecidisse nemo est qui dubitabit. Neque solum in continenti Europa verum etiam in Britannia literae artesque, quae hac in insula olim colebantur maxime, ita jacebant, ut in Britannia prima seu citra Humbriam sita perpauci et citra Tamesin nemo inveniretur, qui latinum librum posset vertere.<sup>120)</sup> Alfredus vero rex, inde ab anno DCCCLXXI—DCCCCI, literarumque optimus fautor, bonas artes omni modo augebat, quum et Britannos et peregrinos ad studia inflammaret virosque doctrina claros ex continenti advocaret Europa, in quibus prae caeteris eminebant Johannes Corbeiensis et Aser, qui regis vitam scripsit, quemque quotannis senos menses secum habuit, ut senos clericali suo fungeretur munere.<sup>121)</sup> Alfredus Graecae linguae expers erat, nam Aesopi fabulas, quas praeter alia vertisse dicitur, ex Latina in Saxoniam transtulit linguam,<sup>122)</sup> imo vix Latinae, quam triginta duos annos natus didicit, justam sibi paravit peritiam. In schola sua palatina, quam aequem atque alii reges habuit, nobilibus pueris non Graecae, sed tantum Latinae et patriae linguae praescripsit studium. Neque etiam in Dunstano illo, qui Benedictinorum in Britannia favebat monasteriis, cujusque pueritia juvenilis educationis nobis praebet imaginem, ullum Graecarum literarum invenimus vestigium.<sup>123)</sup>

Multis ac variis bellis, quae post Carolum Magnum in Italia media et superiore, in Francogallia et in Germania gerebantur, quum et de imperatoria dignitate et de finibus proferendis aliisque ex causis jam Ludovici pii filii inter se certarent, fieri non potuit, quin liberalia studia ac Graeca negligerentur. Huc accessit, ut barbarorum incursionibus eae regiones, quibus humanae artes colebantur

<sup>118)</sup> Mansi Coll. Conc. XIV, p. 1008, Giesebricht, I. l. pag. 11. Miserrimam literarum conditionem, quae tunc bene cognoscet ex Lupi Ferrierensis epistol. I., „nunc oneri sunt, qui aliquid discere affectant“, et ep. 34; praeterea ex Flori flegili carmine de divisione imperii, in quo:  
„Praesulibus plebes viduae, doctore cathedrae.“

<sup>119)</sup> Alcuins Leben von Lorentz, p. 63.

<sup>120)</sup> Cf. Alfredi praefationem ad suam versionem pastoralis Sancti Gregorii. Geschichte Alfreds des Grossen von Lorentz, S. 137—149.

<sup>121)</sup> Lappenberg, Geschichte Englands I, 336.

<sup>122)</sup> Lorentz, I. l. S. 197.

<sup>123)</sup> Grässle: Lehrbuch der Literaturgeschichte des Mittelalters, I, 826.

maxime, diriperentur, quum Britanniam et Galliam Normanni seu Dani, Germaniam Hungari Slavique, Hispaniam, Italiam inferiorem, Siciliam Arabes vastarent. Neque tamen in illis noni decimique saeculi tumultibus Siciliae et Italia inferior<sup>124)</sup> desierunt esse Graecarum literarum portus ac refugium, quum propter civile Graecorum orientalium imperium, quod in his terris obtinebant, tum propter potestatem, quam in rebus divinis indeque, quod cum his cohaeret necessario, in literariis exercebant. Neque est praetermittendum, Arabes, qui medio aevo ea potissimum re a Christianae fidei confessoribus abhorrebant, quod rerum naturae seu physicae doctrinae studebant, quum hi in metaphysicis potius seu in iis, quae oculorum conspectum transcendunt atque ad deum ipsum quasi ascendunt, versarentur, singulari sunt opera permulta Graecorum scripta, maxime physica, medica, geographicā, astronomica in suam linguam curavisse vertenda, quo vertendi munere Syros potissimum in oriente esse funtos infra videbimus,<sup>125)</sup> ac Graecis, quo tempore apud Christianos jacebant magnopere, eximie favisse literis. Quarum favore Harun al Raschid et Al Mamum immortalem sibi paraverunt gloriam. Satis est virorum doctorum, quos ad Graecos libros Arabice reddendos Bagdadum convocaverit Al Mamum anno DCCCXII, commemorasse multitudinem, atque de hac re, quae ultra hujus dissertationis jaceat limina, ad Georgii Weinrichii librum de auctorum Graecorum versionibus et commentariis Syriacis, Arabicis, Armeniacis, Persicis singulariter scriptum et Fluegelii dissertationem de Arabicis scriptorum Graecorum interpretibus provocasse.<sup>126)</sup>

<sup>124)</sup> Cf. quae p. 20 de Acrihi Beneventoque attulimus. Blume: iter Italicum IV, 95: Siciliens literarischer Reichthum besteht ganz besonders in griechischen Münzen. Von griechischen Handschriften ist wenigstens etwas im Lande geblieben.

<sup>125)</sup> Cf. Cramer: de Graec. m. aev. st. p. 37. Zumpt: über den Bestand der philosophischen Schulen in Athen und die Succession der Scholarchen, p. 5: Merkwürdig ist, mit welchem Eifer sich der syrisch-phönizische Volksstamm zu der griechischen Weisheit drängte.

<sup>126)</sup> Cf. Heeren, Gesch. d. classischen Literatur I, 132, et de magna, quae tune erat Graecorum scriptorum multitudo, ex Photii bibliotheca, I, 123.

At ne libertate, qua hujus programmatis fines egredi mihi benigne est concessum, nimis abutar, rem meam, quam nunc dimidiā proposui, mox alio loco absolvam atque universam, a Carolo Magno usque ad expeditiones in terram sanctam susceptas, pertexam.